



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concinatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Planctus Ecclesiæ, Animæ, Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)

PLANCTUS  
ECCLESIAE, ET ANIMAE,  
PRO O E M I U M.

**A**D litteram, planctus Jeremiæ, in Threnis ipsius lamentabiliter effusus, miserabilem, ac lamentabilem Regiæ, & sanctæ Civitatis Jerosolymitanæ devastatione per Nabuchodonosorem sub Sedecia Rege factam exprimebat. Quare Propheta dolore ac commiseratione plenus, in hæc erupit verba: *Quomodo sedet sola Civitas plena populo? Facta est quasi vidua, Domina gentium!*

Loquitur de Civitate Jerusalem, tanquam de angustiata, ad mortem usque afflictâ, & tristi viduâ, quæ sedeat humiliata in terra, de sublimi dignitatis, ac fælicitatis suæ throno, dejecta & abjecta, derelicta & sola, civibus & incolis suis viduata, quæ prius plena populo, non tam numerofo civiû, quàm ipsius Regis incolatu splendebat; miserabilis ergo Regiæ, hujus Civitatis, totiûsque populi casus, & deploranda patriæ facies, afflictum Prophetæ animum ad planctum istum, & lamentationes commovit.

Quamvis in his, non solâ contentus literâ, alti ora  
mysteria in sensu morali æquè, ac allegorico recondita,

*P. Franc. Josephi Opus IV.*

A

myste-

Spiritus sanctus intenderit, devastatæ Civitatis Jerusalem ruinâ, ipsius Ecclesiæ afflictionem allegoricè, & desolationem Animæ peccatricis moraliter adumbrans. Unde primum Lamentationum versum optimè his verbis Interlinearis glossatur: *Quomodo sedet sola Civitas, Ierusalem, vel anima, vel Ecclesia.*

Literalem ruinæ Jerosolymitanæ descriptionem, & planctum ego hîc prosequi non intendo, sed ad Morale animæ, & Allegoricum Ecclesiæ planctum exponendū me convertō, stylo quidem humili & simplici, statum ac Professionem meam decenti, absque verborum phalerato ornatu, & phrasium fucato colore, quippe

*Non est conveniens luctibus iste color*

Sententias Patrum, & Expositorum, ad solidam propositionū probationem, frequentiores, & subinde longiores posui, iniquum ratus, aurea sanctorum Patrum verba, & auctoritates mutilare, iudicio interim ac discretioni sacri oratoris relinquens, ita auctoritatum, ac sententiarum copiam moderandi, ut nec materiæ debita defuit probatio, nec memoria eloquentis, aut patientia auditoris sententiarum longitudine obruatur.

Ut etiam *Discursus* isti pro integro *Dominicali ac Festivali* inservire possint, adieci brevia in singulas Dominicas & Festa, Exordia. Valeat benevolus lector, & erroribus tam meâ, quàm Typographi culpâ irrepturis compatiens, Deum pro me pauperculo exoret.

DIS-